

The transcript should be cited as follows: Noël Golvers (paleographic transcription): *André Pereira (1689-1733)*. Arnaldo do Espírito Santo (Latin translation), in *Res Sinicae. Base digital de fontes documentais em latim e em português sobre a China (séculos XVI - XVIII). Levantamento, edição, tradução e estudos (PTDC/LLT-OUT /31941/2017)*, coordinated by Arnaldo do Espírito Santo and Cristina Costa Gomes, Lisbon: Centro de Estudos Clássicos, 2021, e-ISBN: 978-972-9376-57-3. <https://www.ressinicae.letras.ulisboa.pt/andre-pereira-1689-1743-1?lang=en>. [Consult. date].

INDEX

1. Letter to the General of the Society of Jesus, Beijing, 19/10/1729. ARSI, Jap.Sin. 180, fls. 276 – 277v.
2. Letter to the General of the Society of Jesus, Beijing, 6/11/1730. ARSI, Jap.Sin. 180, fls. 296 – 297.
3. Letter to the General of the Society of Jesus, Beijing, 20/11/1732. ARSI, Jap.Sin. 181, fls. 54 – 55v.

1.

**Letter to the General of the Society of Jesus, Beijing, 19/10/1729. ARSI, Jap.Sin.
180, fls. 276 – 277v.**

Contents: Pereira's personal reaction on his appointment as Vice-Provincial, by letters arrived from Rome in Peking in September 1729: his arguments against the acceptation of the position; description of the position of the China mission: many fathers hidden, some residences still 'open'; the open opposition from Chinese. On the financial aspect of the mission: how to manage it, with a clear overview of the costs for an individual father, the servants, etc. The attitude of Chinese Christians, incl. new converts within the new situation, created after the anti-Christian decree of 1724.

Admodum Reverende in Christo Pater Generalis¹

Pax Christi

Decima Septembbris hujus currentis anni 1729 pervenerunt Pekinum ternae epistolae *Paternitatis Vestrae Admodum Reverenda*e mense Decembri anni 1727 datae, simul cum tribus Patentibus literis, scilicet primis pro Visitatore, datis ad *Patrem Ignatium Kegler*, virum sanè prudentem, et omni genere virtutum ornatum; et binis alijs pro *Vice Provinciali*, ac *Rectore* hujus Collegij, ad me ineptum omnino ad qualemcumque officium Superioris, qui enim necdum bene didicit subesse, quomodo poterit praeesse? Nescio regere meipsum, quomodo regam alios? Sentio in me magnum defectum charitatis, humilitatis, caeterarumque virtutum: omni distituo longanimitate, et magnitudine animi; nulla polleo prudentia, et experientia in rebus agendis, nec etiam sufficientem habeo Instituti nostri notitiam. E contrario sum valde rudis in oratione, ad mea commoda propensior, in bilem pronus, animo pusillo etc.; quibus coram Deo perpensis, judicavi, me religione praepediri, quominus possem acceptare Patentes ad me directas, munusque per eas impositum. Eam ob causam enixè rogavi Reverendum *Patrem Vice Provinciale*m (qui tunc erat hic

¹ Acrescento de outra mão: «19 Oct. 1729 Pekino P. Pereyra»

Pekini) ut me excusatum haberet, coram illo, et consultoribus cum debita sinceritate, et simplicitate animi exponens rationes cur, salva conscientia, non possem suscipere tale munus, imo ob manifestam ineptitudinem tenerer, illud omni conatu detrectare, ne exinde tum animae meae, tum bono communi Societatis atque missionis gravia damna accenserentur. Sed non fui exauditus, imo aliter judicatum fuit. Itaque 14 Septembris in ipso Festo Exaltationis Crux duplex mihi imposita fuit. Utinam cum vera humilitate, et resignatione tollam crucem meam, et cum Apostolo Andrea Patrono meo sequar Christum, fratresque meos perducam ad JESVM. Exprimendo non sum, qua animi amaritudine coactus fuerim, oneri imposito me subjicere; verum quid agendum supererat aliud, quam humiliari sub potenti manu Dei? Sic Domino placuit, ita factum est.

Contentiones, et discordias praeteritas in nostra religiosa familia ut fratricidas, instar mortis hactenus duxi, et modo duco; insuperque doleo, quod hinc etiam justi doloris tam ampla materies *Paternitati Vestrae* preeberetur. *Pater Visitator*, et ego (iam alias in charitate conjuncti) nullum non movebimus lapidem, ut socios ad unionem animorum, fraternalisque charitatem accendamus. Faxit Deus, ut optatum exitum sortiamur, et mutata adeo tristi scena, deinceps detur laetiora prospicere, et meliora in dies expectare, ut complacere *Paternitati Vestrae* contingat in tot charissimis filijs.

Literas *Paternitatis Vestrae* diligenter percurri, et omni attentione legi; et omnia ad unguem executioni juxta mentem *Paternitati Vestrae* mandabo. Imprimis maximas habeo *Paternitati Vestrae* gratias nomine totius *Vice Provinciae* pro applicatione suppellectilis Patris Mourão, eidem *ViceProvinciae* facta, et etiam nomine Collegij Pekinensis pro parte, quae illi contigit. Ut a *Paternitate Vestra* praescriptum, ita executioni jam datum fuit.

Circa informationes ad gradum pro *Patribus* Policarpo de Souza, et Josepho de Souza oportunius mihi visum, rem committere² Superiori Residentiae *ViceProvinciae*, quae est Macai, unde praefati Patres hoc eodem anno sunt egressi, et ubi noti; neque ad me ullum huc mittendum e Macao responsum exspectari³ poterat, quin mittendae Romam informationes annum integrum retardarentur. Igitur

² comitere ms.

³ expectari ms.

commisi⁴. Cur verò, et quomodo praedicti Socii privatae Theologiae contra Societatis consuetudinem vacaverint? Jam scripsi ad *Patrem* Sa, ut *Paternitatis Vestrae* inquisitioni satisfaciat; neque enim causas hic habeo satis notas: eodem modo quare Socii *ViceProvinciae* in Cantonensi Residentia commorantes⁵ in communi⁶ non vivant?

Significavi Patribus indigenis sollicitam⁷ *Paternitatis Vestrae* curam, et amorem, quo paterne memi-/ /fl. 276v./ / nit suorum laborum in vinea Domini, pro ijsque impendit gratias: qui tamen sibi concij non tanti faciunt suam positam in missione operam, ut audeant ultra dignitatem personae, et meriti relatas grates acceptare; sed id totum, quasi novo sibi addito stimulo, ad currendum, et excurrendum citius pro salute animarum comparantes alacriores animos conceperunt. Laude dignior appareat *Pater* Aloysius Fan, propter industriam, et laborem, quo excolit baptizandos, et baptizatos, non tantam impendens operam, ut multi sint, quantam, ut boni, et probe norint, quae oportet. Iisdem nomine *Paternitatis Vestrae* pro labore gratijs⁸ cumulavi *Patrem* Joannem Duarte, qui liber onere officij *ViceProvincialis*, hinc regressus est in suum assuetum latibulum in Provincia Hu Kuam. Latitant etiam Patres Simonelli, Peyxotto, Correa, Josephus de Souza, Ludovicus de Siqueyra, et Policarpus de Souza: sed hic avocatus est Pekinum acturus Procuratorem, et missionarium. Patres Hinderer, Mendes, et Pinto adhuc morantur in suis antiquis residentijs, scilicet 1.us in Ham cheu, 2.us in Xam hay, 3.us in Sum Kiam; verum ibi frequentes, et graves sustinent⁹ vexationes illatas ab ethnicis; imo nunc magis dubium, an diu ibi valeant permanere: causa autem novi timoris haec est.

Ante paucos dies, magno animi nostri maerore, ex amicis deprehendimus porrectam fuisse contra nos, et *Sanctam Legem* accusationem secretam, qua accusator rogat Imperatorem, velit inquirere an decretum olim emanatum contra Europaeorum Legem fuerit re vera executioni mandatum in Provincijs? Videtur enim aliquas adhuc ibi extare Ecclesias, et in illis residere Europaeos, alios verò

⁴ comisi ms.

⁵ comorantes ms.

⁶ comuni ms.

⁷ solicitam ms.

⁸ gatijs ms.

⁹ sustinen: t acrescentado ms.

etiam latere in Provincijs contra decretum Regium. Insuper eosdem multos esse in Curia, quorum major pars nulli alij est usui, nec nisi in adducendis Chinis, et Tartaris ad suam Legem occupari. Hactenus praedictae accusationis memoriale non produxit in publicum Imperator, sed sibi asservavit; attamen medio praecipuo, et intimo ministro Ko Lao, cognomine Cham, fecit sibi praesentari primam illam accusationem a Fokiensis Provinciae supremo gubernatore, Cum tu dicto, porrectam, et in eam desuper suum decretum; et quidem utrumque oblatum est, sed adhuc exspectatur¹⁰ responsum; nam hactenus siluit oraculum. Sed hoc ipsum silentium nos angit, forte enim clam jussent Provinciarum Praesidibus denuò inquirere, et investigare, sint necne ibi missionarij latentes? Jam verò, si quis deprehensus fuerit, utique toti missione nocebit. Ne contingeret, ut errarem in negotio tanti momenti, in consultationem adduxi. Consulereturne magis missionis bono in his circunstantijs nostros missionarios, quoad poneret nova tempestas, illico revocando Macaum, an latibilis, ut hactenus, permittendo? Consultorum sententia fuit, non oportere deserere neophytes, nam etsi nostri Socij abirent, reliquos missionarios, qui etiam latitant, non exituros; ad nocendum verò communi¹¹ causae Evangelij, satis esse unum, qualiscunque tandem nominis, et instituti ille esset, comprehendendi a mandarinis. Deinde multum ad Rem facere remissiores, an exactiores fierent a mandarinis investigationes: id exspectandum¹²: imò nec inveniri eandem in omnibus locis oportunitatem latendi¹³: ubi intelligerent Socij se fallere non posse examina, et indagatores, inde citius abirent, ubi latitare, aut fallere, ne discederent. Hanc sequutus consultorum sententiam dedi literas ad praefatos occulte degentes nostros missionarios, illud insuper addendo, ut etsi hactenus cauti, inpraesentiarum cautores incederent, auritorumque leporum ad instar, rumo-/ /fl. 277/ /res captarent è mandarinorum tribunalibus allatos; perpendent etiam, num in magnis fluminibus, et cymbis secretiorem sibi stationem possent comparare? Si vero latendi vias interclusas penitus judicarent, tunc demum Macaum se reciperent. Non obstante praefata accusatione, modo die 15 8.ae Lunae currentis anni, quae dies solemnis est Sinis, placentis, et arborum fructibus muneras est Imperator omnes Europaeos; idque jam in more habet statutis diebus 5.ae 8.ae et 12.ae Lunae, ex quo

¹⁰ expectatur ms.

¹¹ comuni ms.

¹² expectandum ms.

¹³ Latenti ms.

Lusitaniae Legatus ad Sinas accessit. Notum habemus Breve Pontificium ad Imperatorem venisse Cantonem, et traditum Proregi Cantoniensi a *Patre* Perroni agente ibi Procuratorem *Sacrae Congregationis*, ut illud mitteret ad Imperatorem. Iam verò detracta mora itineris jam prope elapsus est mensis, ex quo hūc pervenire deberet. Attamen Imperator super hac re nec verbum ullum hactenus ad nos fecit.

Providebo omnibus Socijs Missionarijs de necessarijs. *Sacra Congregatio de Propaganda* dat suis Missionarijs in Provincijs commorantibus¹⁴ 125 patacas (sive 92 taheles); Patres Galli, et Provincia Japoniae dant 100 taheles. Propterea, auditis consultoribus, et majori, potiorique parte probantibus, deliberavi Socijs morantibus in Residentijs, nullis, aut prope nullis fruentibus emolumentis agrorum etc., quibus ordinariae expensae juvari possent; dari imposterum 100 taheles; alijs vero occupantibus Residentias, emolumentis proprijs gaudentes, ijs supputatis, cum primum mihi vacuum fuerit, statuam quotannis pondus argenti a Procuratura conferendum, habita ratione aequalitatis, et necessitatis; hoc modo habebunt omnes abundantem congruam sustentationem. Pariter curabo, ut 1.^o ingredientibus missionem provideatur de vestibus, et alijs rebus necessarijs liberali manu. Male fecit *Pater* Sa, nisi proviserit *Patri* Morabito vestibus opus habenti ad frigus arcendum: Attamen scire velit *Paternitas Vestra* dictum Patrem difficilis esse naturae, cui fieri satis possit. Quando praefatus *Pater* 1.^o ingressus est missionem, forte agebam Cantone Superiorem, cuius providendis vestibus duplum, quam pro alijs in more erat, impendi, nihilominus cor Patris nondum implevi, adeo ita ut etiam *Patri Laureati Visitatori*, qui tunc erat Cantone, satis mirum an hoc acciderit genium Patris.

Non possum non mirari, inventum esse, qui referret *Paternitati Vestrae* Socijs Cantone commorantibus¹⁵ non sufficere 50 taheles pro annua sustentatione, ex quibus in cujusque servi salario impeduntur 47, ad sustentationem superstansibus tantum tribus. Effrons mendacium. Egi Superiorem Cantoniensem per aliquot annos, habeo satis experientiae, quantum ibi impendatur pro annua sustentatione. Ingenua veritas haec est: Pro sustentatione cujusque Socij annua insumuntur 36 taheles, pro famuli verò 7 taheles, et duabus decimis unius tahelis, et pro illius salario anno 3 taheles, in summa tantum impenduntur 46 taheles, et duae decimae; supersunt ergo 3

¹⁴ comorantibus ms.

¹⁵ comorantibus ms.

tahelles, et octo decimae, quarum singulae dicuntur -mares-. Unde Socius quilibet tradit Superiori Residentiae 46 tahelles, et nihil aliud curat; incumbit verò Superiori illum alere, et famulum, et insuper solvere illius salarium: Superior autem nec lucratur, nec jacturam patitur pro expensis. Et haec est praxis apud omnes ibi Cantone. Unde judico in hac materia nihil innovandum, dummodo ultra congruam sustentationem provideatur de vestibus, et alijs indigentij, ut par est. Hic verò notandum Socios Cantone degentes aequiparari non debere *commorantibus* in Residentijs, hi enim alere debent ad minimum 4, aut 5 famulos, domos, sartas tectas curare, et non aliquando, sed saepissime succurrere indi- /fl. 277v./ /gentijs pauperum *Christianorum*, et similia; illis vero non est ulla cura de aliquo.

Quod verò aequa tractandi, alliciendique Lusitani, ac exteri, praxis nostra hactenus docuit si quid in hoc est peccatum, per excessum in exteros, non per defectum peccatum esse. Semper majori cura provisum fuit exteri, quam Lusitanis; et ideo semper exteri *commorati* sunt in melioribus, et pinguioribus Residentijs, aut certe, quod loco deerat, pecunia compensabat: *Patri Van Hamme*¹⁶ ultra solitam congruam sustentationem quotannis¹⁷ dabantur 20 tahelles. *Patibus* Provana, et Bayard similiter; insuper passim addebatur his, et caeteris eleemosynae; non ita frequenter Lusitanis: unde *immerito* videntur conqueri. Jam Pekini introductum est signum Campanae mane, meridie, et vesperi ad Angelus Domini, et etiam servatur consuetudo singulis mensibus Sanctos Patronos extrahendi. Etiam laudabiliter introductum fuit a *Patre Rezende* signum Campanae ad orationem matutinam, et examen ante prandium; nocturnum enim propter excubias noctis, tunc saepius jam inceptas, quo tempore non licet in Curia privatas campanas pulsare, dari nequit. Collegij, et Residentiae observantia praecedentibus annis incrementum accepit, et viget, sed devotio plurimorum erga *Sanctissimum* valde enitet. Christiani frequenter accedunt ad Sacraenta: singulis diebus dominicis, et festis habetur in Ecclesia adhortatio, intermixtis, quae ad Cathechismum spectant. Faeminis verò, quae olim pro sacramentis in templum Deiparae confluere solebant, modo cautius, ut tempus exposcit, non turmatim, sed ad parvum numerum, praemonitis vicinioribus, in domibus piorum administratur. Coadjutores nostri omnes addiscunt linguam Sinicam, et quisque prout ingenij facultas fert, Sinicè loquitur; aliter

¹⁶ Hame ms.

¹⁷ quotanis ms.

quomodo agerent cum Chinis? Non tamen videntur cogendi ad discendos Characteres Sinicos, prout intendebat *Pater* Fridelli: et id 1.^o quia conformius nostro juri, 2.^o quia deest finis utilis, nempe praedicatio, aut librorum elucubratio, quae ipsis committi¹⁸ nequeunt: 3^o quia non habent capacitatem ad literas necessariam.

Nobiles Neophyti, Christianae Religionis professione, et virtutibus effecti nobiliores, quia vera nobilitas sola est, atque unica virtus, in susceptae Fidei proposito, et firma confessione constantiores in dies perseverant suo in exilio, et carceribus coarctati; verum si angustiantur vasa carnis, suae dilatantur in Deum spatia charitatis. Alij sunt ab alijs diversis in carceribus separati, in unis viri, viragines in alijs, quibus licet inter se colloqui detur, omne tamen cum exteris commercium¹⁹ interdicitur; et etiam cum alijs, qui in diverso carcere detinentur, ita ut nec semel in mense faeminis liceat viros suos invisere, ut antea de gentis hujus more eisdem permittebatur. In dies tam Imperator, quam mandarini eos acrius premunt, et neque tenuem victum, criminosis hic concedi solitum, his subministrant, omnem circa illos humanitatis speciem exuentes; quam, et si velint, aegre possunt ostendere propinqui, et affines, timentes tyranni²⁰ indignationem cum bonorum omnium dilapidatione, et dignitatum amissione, incurrere. Nos ex ViceProvincia, et Patres Galli eâ, qua possumus, ope eisdem clam succurrimus; sed quid haec inter tantos, tamque gravi necessitate oppressos? Paternam benedictionem *Paternitatis Vestrae* humiliter peto, meque et afflictam hanc missionem in *Sanctissimis Sacrificiis* impense commendo. Pekini 19 Octobris 1729.

Paternitatis Vestrae Admodum Reverendae

Minimus in Christo Filius

Andreas Pereyra.

¹⁸ comitti *ms.*

¹⁹ comercium *ms.*

²⁰ tyrani *ms.*

2.

**Letter to the General of the Society of Jesus, Beijing, 6/11/1730. ARSI, Jap.Sin.
180, fls. 296 – 297.**

Contents:

In this letter, Pereira reports on the effects of the earthquake of 1730 on the Jesuit compound of Nantang, especially on the church – which should completely be rebuild – as well as other parts; the money they will need for that, and the financial support they already got, e.g. from the Chinese Emperor and the Marquis de Villapuente. A proposal for another financing: as Peking has during so many years paid the costs for the missionaries in other parts of China, it is time to return to money for the reconstruction of the Nantang college. A rather rhetorical conclusion.

Admodum Reverende in Christo Pater Generalis²¹

Pax Christi

Terraemotu praeterito, de quo in alia mentionem facio, ad summam paupertatem redactum est Collegium Pekinense. Ut reficiantur eius damna, et in statum pristinum ponantur officinae, nostrorum cubicula, et domesticorum domicilia, magna argenti summa necessaria est: major requiritur ad reficiendas externas domos, quarum proventibus sustentamur, nec unde proveniant sumptus necessarij spes datur, cum siccato fonte²², e quo argentum perennabat, ipsum etiam cessare evidens sit: reaedificandae tamen sunt, ne pereunte patrimonio Collegij, vires ad alendos filios necessariae deficiant. Jam antea, ut ipsius redditus inevitables expensas aequaret, maxima oeconomia²³ requirebatur. Quapropter in instituendo aliquo deposito, quo hae fierent, totis viribus laborabam. Aliqua jam erat argenti summa, sed adeo parva, ut pro nulla reputaretur, nunc maxime cum sumptus necessario faciendi multorum annorum redditus excedant.

²¹ Acresco: «Pekini, 6 Nov. 1730 Andr. Pereyra, S.J.»

²² forte *ms.*

²³ aeconomia *ms.*

Quod tamen acerbiori vulnere animum ferit, est Ecclesiae jactura; haec enim omnino disrupta, atque contrita fuit, ita ut remedium non appareat aliud, nisi eam e novo erigere. Nemo est qui dubitet eam esse reaedificandam, ne Lex, quam praedicatum venimus, ac JESV Christi gloria jacturam subeant, non sine indelebili Christianorum nota, Religionis ludibrio, et nostri ignominia, cum ea fuerit primum admissae Fidei paeconium, ac propugnaculum, et ultimum persecutae asylum²⁴, quo nisi munimus, refugiatam deturbamus. Et quod majores adderet stimulus, nisi Religione pungeremur, ipsem Imperator 5.a Octobris nos ad salutandum confluentes admittens, nullius prius meminit: salvane esset? interrogans; auditoque misero eius statu, quem minuimus, ne conceptum urbis strage dolorem augeremus, nobis dedit 1000 taeles, ut ipsius, et aliarum damna repararentur. Quae nobis contigit pars, nec ad colligenda²⁵ utensilia sufficit. Quapropter cum Collegium nec sibi ipsi mederi queat, nec aliunde prudenter sperari possit auxilium, ad ViceProvinciam recurrendum, quae ob rationes non leves eam ex aequitate debet reaedificare.

1.^o Haec Ecclesia, ut *Paternitati Vestrae* bene notum, erecta est defuncti Imperatoris argento in hunc effectum absque usuris mutuato, nempe 10 mille taelibus, qui ad redditus collocati, praeter Ecclesiae expensas, 5 mille taeles produxere, quibus ditata fuit ViceProvincia. Hos fructus certe colligeret²⁶ Collegium, ad quod rigorosè loquendo pertinebant, utpote illius Ecclesiae patrimonium, nisi *Pater Antonius Thomas piae memoriae*, tunc temporis Rector, Collegium gravare timens, eos cederet ViceProvinciae, onere restituendi capitale: onus subire non recusavit *Pater Josephus Suarez*, utpote leve, imo et lucrosum, probavit exitus, nam restituta praesenti Imperatori summa mutuata, praedicti fructus superfuere. Hos, etsi numquam petijt, nunc necessitate compulsa iure vendicat Ecclesia, unde dimanarunt.

2. Omnia Pekinensis Procuraturae ViceProvinciae, et pene omnia Goanae / /f 296v./ / non aliunde, sed ab hujus Collegij filijs ViceProvincia exceptit, scilicet a *Patribus Thoma Pereyra, Philippo Grimaldi, et Josepho Suarez, et alijs*, qui ViceProvinciae inopia condolentes, hanc Procuraturam erexere, Goanamque locupletarunt. Nunc verò aequum est beneficium beneficio rependere, et Collegij

²⁴ asilum ms.

²⁵ coligenda ms.

²⁶ coligeret ms.

misereri, quod etsi proprij laboris obliviscitur, Ecclesiae tamen (cujus jactura etiam *Paternitatis Vestrae* tanget pupilam oculi) non potest non recordari.

3.^o Praeteritis temporibus, cum ViceProvinciae nullus esset nervus, nec praefatio alere posset Missionarios, omnia necessaria tam larga manu suppeditavit²⁷ Collegium, ut praeter alia, quae non fuerunt notata, 5 millia taelium expensi albo adscripta inveniantur; ne deficiente militibus annonam, stationem deserere cogerentur. Etiam si beneficij meminisse pudet necessitas imperat propalare.

Etiam addi potest 4.^o ViceProvincia ex supellectili *Patris Mourão piae memoriae* supra 6 millia taelium sortita fuit, *Paternitatis Vestrae* beneficio. Haec summa haereditario jure pertinebat ad Collegium, cuius erat filius, et a quo praefati *Patris expensae* (verè maxima) solvebantur. At extrema saltem in necessitate Collegio succurrere iustum est.

Tandem *Dominus Marchio de Villa Puente*, missionariorum pater, praeter mille patacas Macaensi *Sancti Josephi Residentiae* datas, ut Sinae aliqui nutriantur, qui sint auxilio missioni, 3 mille patacas (sive duo millia taelium) liberali manu huic missione Sinensi donavit (pro quo beneficio *Paternitatem Vestram* supplex rogo mecum gratias agat *Excellentissimo Domino*). Hanc ego eleemosynam, trutinata prius Collegij paupertate, restaurandae Ecclesiae applico, approbante *Patre Visitatore*. Hanc meam dispositionem etiam consultoribus patefeci: nullus eorum contradixit, scio tamen Patres Rezende, et Pinheyro (acerrimos ViceProvinciae contra Collegium propugnatores, et praecipuos *Patris de Sa* consultores, et defensores) privato conventiculo talem applicationem injustam judicasse, ac si haec Ecclesia ViceProvinciae non esset, nec ViceProvinciali incumberet omnia circumspicere, et prout necessitas postulat, subvenire, et providere, non solum ex adventitijs eleemosynis, ut haec est, sed etiam ex communi, maxime huic Collegio, et Ecclesiae tam benemeritis de ViceProvincia, imò et creditoribus tantae summae²⁸, quantam Collegium, eiusque filij ViceProvinciae, missionarijs, et Residentijs larga manu impertiere: maxime Chintinfunensi, cuius Procurator *Pater Rezende* beneficij immemor Collegij adhuc non miseretur, datis jam *Sancti Josephi Residentiae* ex Chintinfunensi plus quam 800 taelibus, cum talis Chintinfunensis Residentia ad Collegium spectet, et ab eodem fuerit dotata, qui (scilicet *Pater*

²⁷suppeditavit ms.

²⁸Sumae ms.

Rezende dando, et *Patre* Pinheyro accipiendo) hanc bonorum alienationem scrupulosam non judicarunt, nescio qua ducti Theologia, nunc nefas reputant, *ViceProvincialem* adventitias *ViceProvinciae* eleemosynas²⁹ convertere //fl. 297// in usum tam pium, tamque necessarium, maxime his temporibus, quando extincta missione, haec tantum superest favila, quae, si nutriatur, aliquando excitabit incendium; prohibitis Provinciarum Ecclesijs, adhuc sinitur omnium primogenita. Et hanc, cui Caesaris ira parcit, ego, et *ViceProvincia* tumulabimus? Ille gentilis cum sit, pecuniam exhibet; nos Christiani eleemosynam³⁰ denegabimus? Reaedificari curat Imperator, ego inter ruinas derelinquam? Derelinquerem fortasse, si praedictorum Patrum sententiae subscriberem, quod Deus avertat, ne Divino, et humano *Paternitatis Vestrae* tribunali tam horrendi criminis reus efficiar; imò qua potero diligentia terraemotum vindicabo, vel reparando, si satis sit, vel ab immis fundamentis erigendo, etiamsi vestem vendere necessum sit. At cum meum, et *Patris Visitatoris* gubernium prius ipsa fortasse absolvatur, *Paternitatis Vestrae* erit, qua par est liberalitate, providere, ponderatisque rationibus allatis, jubere, ut *ViceProvinciae* sumptibus reaedificetur, cum expensae necessario faciendae excedant *Domini Marchionis* eleemosynam, aliter Sinensis missio jam facta in agonia etiam hunc supremum exhalabit spiritum. Quam Sanctissimis *Paternitatis Vestrae* Sacrificijs plurimum commendo. Pekini, 6 Novembbris 1730.

Paternitatis Vestrae Admodum Reverendae
Humillimus in Christo Filius
Andreas Pereyra.

²⁹Eleemosinas *ms.*

³⁰Eleemosinam *ms.*

3.

Letter to the General of the Society of Jesus, Beijing, 20/11/1732. ARSI, Jap.Sin. 181, fls. 54 – 55v.

Summary: Contents: In this report, Pereira informs the General on the position of European mathematics in Peking: in the past (17th cent.: A. Schall; F. Verbiest), but especially after the introduction – on the Kangxi Emperor’s instigation – of the ‘new’ (i.e. ‘revised’ / updated) astronomy, in 1724. At his death, the Jesuits were fearing for their position, which was closely connected to the position / acceptance of Western astronomical rules; Chinese opponents took the occasion to reintroduce their (“native”) rules, but the new Emperor – although not friendly towards Christianity, on the contrary – confirmed, after some new proofs with eclipse calculations / observations, the ‘Western rule’. He even put Ignatius Kögler at the head of the Astronomical Bureau (*Qintianjian*). On the recent Emperor’s proposal to promote the Jesuit astronomers to additional degrees.

/fl. 54/

Admodum Reverende in Christo Pater Generalis³¹

Pax Christi

Iam volo *Admodum Reverendam Paternitatem Vestram* certiore facere de Mathesis progressu in hoc Sinensi Imperio, ob quam Veri Dei Fides est ingressa, ac multis licet persecutionibus agitata, adhuc tamen in eodem conservatur. Semper Sinae magno in pretio Mathesim habuere, florueruntque apud eos antiquitus viri insignes Astronomiae non mediocriter periti; verum temporis decursu, ut aliis quoque in rebus usuvenire solet, Sinarum Astronomia a suo primaevi splendore, et veritatis tramite deflexit, ita ut iam caelestium corporum motus, eorumque observationes nimis longe a Sinarum supputationibus dissentirent: donec favente Deo, et per Mathesim sternente viam antiqui Patres nostri hoc vastissimum Imperium penetrarunt, ubi inventos Astronomiae errores correxerunt, ab eoque tempore usque modo semper Matheseos Tribunalis praesides fuerunt et hoc non mediocris autoritatis gradu insigniti Catholicam fidem liberius praedicarunt, ac contra adversariorum impetus, et calumnias protexerunt: Verum licet ob scientias

³¹ Acresco «Pekini 20 Nov. 1732 Pereyra.»

praesertim Mathematicas magno semper in honore simus apud Sinas habiti, non defuere tamen eorundem (seu ut verius loquar, Maurorum in Sinis longa retro secula degentium) in nos persecutiones et calumnias; uti contigit Patris Adami Schall, ac Patris Ferdinandi Verbiest tempestatibus: licet enim Astronomiam nostram tergeminis laudibus extollant, attamen, ut est gens literarum studio cumprimis dedita, et suopte genio superba, aegre tulit semper ab exteris hominibus edoceri, ac eos tanquam magistros venerari, proindeque mille arteficiis, et technis Europaeos a Mathesis cathedra deturbare, seque eiusdem magistros constituere non semel sunt conati: Quod licet numquam divino Numine, ac veritate nos protegente, obtinere potuerint, his tamen proxime elapsis temporibus sibi penitus obtinuisse visi sunt, ut iam subjicio.

Proxime praeteritus Imperator Kam hi dictus, eius qui modo in Sinis rerum potitur, genitor, ac Europaeorum vere dicendus Pater, tandem pertaesus tot inter Europaeos ipsos circa ritus Sinicos controversias, et lites, secumque reputans illos non posse suo Imperio diu persistere, sed aliquando ad eos e Sinis expellendos se adigendum; antequam id opere compleret, voluit prius ab eisdem quidquid bonarum artium, vel scientiarum habebant, exhaustire, et Sinensibus instillare. Hac de causa quotiescumque Missionarius quivis ab Europa profectus Pekinum adventabat, si erat alicuius artis, vel scientiae apud Sinas in pretio habitae peritus, illico ei discipulos eadem arte vel scientia imbuendos tradebat, ea felicitate et successu, ut iam modo non paucos Sinas habeat quam plurimas Europaeas artes, et scientias apprime doctos.

Cum vero tot annorum experientia comperisset in hoc vel maxime, aut unicè ab Europaeis Sinenses dependere, quia hi sine illorum ope, et ductu Mathematicas scientias, ac praesertim Astronomiam, et certas Eclipsium praedictiones absque errore derigere nequibant: ut in posterum huic malo occurreret, suosque independentes redderet praecipuam adhibuit curam. Quam ob rem nullis parcens sumptibus, aut laboribus, Regia sane magnificentia, Regalem de novo erexit Matheseos Academiam, cui proprium filium 3.^o loco natum constituit Praesidem, virum profecto tali praefectura dignum, quippe qui vel a primis annis per Nostros fuerat Mathematicis disciplinis non mediocriter eruditus; eique alias duos ex eadem Regia stirpe filios suos 12.^o et 16.^o loco natos, ut comites, vel Assessores adiunxit. Praeterea ex omnibus Imperii Provinciis ascivit quotquot Mathematicae periti erant, et sic novam Mathesis Academiam locupletavit pluribus selectisque viris, qui

indefesso labore magnisque impensis integros sedecim annos consumpserunt in reformanda Astronomia, concinnandoque opere Mathematico, quod tandem in lucem prodiit anno 1725 sub nomine Imperatoris Kam hi iam vitâ functi. Si de impensis roges,³² dicitur eas pervenisse ad tres aureorum milliones; et cum huiusce Regionis moris sit typographicas notas ligno insculpere, attamen horum voluminum literas in cupreas laminas inciderunt, quo et typus nitidior, et caracteres evaderent pulchriores; ac re ipsa evasit opus, in speciem saltem, omnibus numeris absolutum. In illud congessere quidquid boni in Europae libris Astronomicis, a se in suam linguam conversis, reperire datum est, et quidquid ab Europaeis ipsis, qui Imperatoris decreto eos docere cogebantur, didicerunt. Tandem omnes calculandi observandique modos, a nostris inventos, in suum opus transtulerunt, in quo, non uti par erat, de illis tamquam magistris suis loquebantur. Nam licet aperte faterentur Europaeos ad Imperium Sinicum venisse, Astronomiam, quae lapsa erat, reformatum, et aliqua secum de novo attulisse, Sinensibus antea prorsus ignota; addebat tamen eosdem, utpote advenas, proindeque Sinici idiomatis proprietatem, ac energiam non callentes, id cum aliqua confusione fecisse, quod ipsi modo tamquam indigenae, et nativae linguae peritiam habentes maiore cum claritate perficiebant; (cum tamen clarior, dilucidiorque longe extiterit facta ab antiquis Nostris Patribus Astronomiae reformatio, licet tam longi temporis intercapidine correctione iam indigeret aliqua). Ne tamen in suo opere omnia ab exteris emendicare viderentur, aliqua de suo addiderunt, nempe observationes a semetipsis factas in variis Imperii locis, quo in hunc finem suos misere Academi-/ /fl. 54v./ /cos, et haec fuit eorum ruina, nam suis his observationibus, aequo plus fidentes, eis tanquam certis fundamentis, et firmis basibus sunt innixi, enimvero cum hujusmodi basis, et fundamentum nec firma, nec certa essent, totam eorum structuram, et artificium cadere necesse fuit.

Imperator Kam hi, qui erat vir singularis profecto ingenij, in Mathematicis disciplinis sufficienter versatus, optimeque norat, quantum discriminis intercederet Nostrorum inter, et suorum Astronomicam scientiam, decreto caverat, ne quid a suis Academicis publici iuris fieret, nisi prius esset ab Europaeis correctum, probatumque: etsi diu supervixisset Imperator, finem utique conqueretur intentum; haberet enim opus Mathematicum, a suis quidem nomine tenus factum, a Nostris

³²Roges? ms.

vero in re perfectum, ac ad eorum usum, et utilitatem emendatum, sicque a Nobis independentes omnino redderentur. Verum Supremum Numen rem aliter disposit, quam fuerat ab homine intentata; nam priusquam opus absolveretur, vitam finivit Imperator Kam hi: Post cujus obitum Academicci, qui p^ra^e superbia opus suum sibjicere noluerunt Europaeorum correctioni, et censurae, statim convenerunt ejusdem filium, ac in throno Successorem supplicantes, ut nova Astronomiae renovatio, tandiu ab eis elaborata, publicaretur. Non acquievit primis eorum postulatis novus Imperator, quin p^raecepit, ut opus iterum rediret ad incudem, quo limatus, et certius evaderet; sed tandem anno sui regiminis tertio exoratus decrevit, ut publicam³³ in lucem prodiret, foreque deinceps, tanquam certa methodus, ad cujus normam se conformare teneretur publicum³⁴ Mathesios Tribunal in suis calculationibus, et Ephemeridum constructione, ita ut ab illa, ne latum quidem unguem, recedere liceret. Sicque Sinenses Academicci suorum votorum compotes facti, suorum etiam Magistrorum, veluti p^raeceptores evasere!

Tunc a Nostris valde trepidatum fuit, sparsusque a Sinis rumor, fore ut Europaei Mathesis cathedram ulterius non regerent: et sic unica infra Deum dilatandae Fidei in hoc Imperio radix, Mathesis scilicet Europaea dependentia, penitus evelleretur. Neque inanis tunc fuit timendi ratio; quippe hanc occasionem nactus quidam Mandarinus ex eadem Academia, Christiani nominis hostis, cognomine Ho (originem ducens ab alio, qui tempore Patris Adami Schall diram etiam in nos moverat persecutionem) novo huic Imperatori supplicem obtulit libellum, in quo post alia dicebat: absoluta iam ab Academicis Sinensibus Astronomiae reformatione, jam amplius Europaeis opus non esse ad Regendum Tribunal Mathematicae, dirigendasque Planetarum, et Eclipsium Ephemerides, sed ad id muneris obeundum satis esse quendam ipsius Academiae Mandarinum, cognominatum Mey, quem Europaeorum loco proponebat. Respuit praeter hominum spem indignabundus Imperator libellum, asseverans solos Europaeos noscere, ac posse sine erroribus Astronomiam dirigere. Sic Deus, in cuius manu sunt Regum corda, et suam, et nostram causam protexit. Paulo post significavit Imperator, se velle Patri Ignatio Kegler (sic) Mathesios Tribunalis Praesidi subsidiarium comitem Europaeum adjungere. Haec contigere anno 1725, quando, ut supra indicavi, in

³³ publicam *ms.*

³⁴ publicum *ms.*

lucem prodijt Academicum opus nomine Imperatoris Kam hi insignitum, quo plus et authoritatis, et ponderis sibi apud omnes conciliaret.

Non acquievit sic repulsa Sinensium Academicorum vel superbia, vel invidia, sed elapsis post duobus, vel quasi tribus annis, novam adversus nos, ac terribiliorem machinati sunt criminationem: videntes enim novum Imperatorem Christianis esse infensum, utpote qui eorum Magistros, et verae Fidei paecones exulare fecerit ab omnibus sui Imperij locis, Pekino tantum et Cantone exceptis, subornarunt, uti fertur, Praepositum, sive majorem domus Reguli 16ti fratribus Imperatoris, et Academiae, ut supra dixi, Assessoris, qui libello accusatorio ad Imperatorem deferendo, apud Regulum ipsum nos eo de crimine expostularet, quod in Mathesios Tribunal multos reciperemus Christianos, eosque specialibus favoribus prosequeremur. Non ausus est Regulus 16 libellum Imperatori offerre, sed illum tradidit Regulo 13.^o Imperatoris Fratri, eiusdemque Ministro primario, qui etiam illum noluit offerre Imperatori. Tandem aemulorum astutia, ac potentia factum est, ut criminosis Europaeorum libellus ipsius Mathesios Tribunalis nomine Imperatori offerretur; adigeruntque minis, et terroribus Praesidem Tartarum Mandarinum, Patris Ignatij Kegler collateralem, et amicum nostrum (a quo huiusce accusationis notitiam privatim accepimus) ut eidem subscriberet, et tanquam reos accusaret, quos innocentes judicabat. Iam formata ab adversarijs, firmataque erat accusatio contra nos, Imperatori offerenda, solumque opportunam offerendi praestolabantur occasionem.

Sed ecce tibi: cum Sinenses Academicci per tot ambages, et tricas, unicum, qui ibi tantum / /fl. 55/ / erat, è Mathesis Tribunali avellere conarentur Europaeum, repente in illud non sine peculiari faventis Numinis Providentia: duos mirantur introductos, quoniam secundum, quem tribus ante annis Imperator designaverat Europaeum, hac tempestate me declaravit Mathesios Tribunalis Mandarinum, comitemque, et adjutorem adhibuit Patri Ignatio Kegler; cuius rei novitate, et admiratione perculsi animis cecidere Academicci, nec ulterius ausi sunt intentatam prosequi criminationem, vel eandem, aut aliam Imperatori offerre. Quinimo Supremus rerum Moderator negotium ita direxit, ut quibus immerito Academicci crimen inferre satagebant, eisdem meritas ipsi paenas darent. Nam licet nos, Imperatoris decreto obstricti, per aliquot annos publicas Eclipsium praedictiones, aliaque caelestium corporum phaenomena juxta novae Academiae reformationem disponere cogeremur; attamen postquam tale opus, antea nobis impervium, lustrare

datum est, in eo varios errores deprehendimus, coepitque palam fieri planetarum phases, et maxime Eclipsium observationes non cohaerere calculationibus juxta novae reformationis praescriptum supputatis: adeoque nos privatim veram ineuntes calculandi rationem praedicebamus differentiam inter observationem, et calculationem juxta Academiae praescriptum habendam, quam quidem differentiam, facta observatione, Academicci ipsi tanquam oculati testes, fatebantur, et suum opus a vero deflectere non negabant; verum dicebant errorem esse parvum, solumque sapientibus, ac peritis observatoribus manifestum.

Donec appropinquante³⁵ Solis Eclipsi anni 1730 mense Iulii quae prima occurrebat hic Pekini visibilis post evulgatam Astronomiae reformationem, in eadem apparuit ipsa Solari luce manifestior, non parvus Academicorum error; siquidem juxta ipsorum methodum supputata Eclipsis nostram supputationem excedebat et tempore non brevi, et magnitudine digito majori. Quamobrem ante rei eventum, praeter communem Tribunalis, ut moris est, nos ut rem privatam, et nostram Imperatori obtulimus ejusdem Eclipsis typum, qui distincte repraesentabat qua hora, et momento deberet incipere, et desinere, item et quantitatem Eclipsis, ut si forte Imperator ipse observare vellet, aperte dignosceret, quantum discriminis intercederet nostram inter, et Academiae regulam, ac utra duarum cum observationis veritate conveniret. Illuxit aliquando Eclipsis dies, quae occultando solis radios, veritatis lucem propalavit; etenim in publico, ac regio Mathesis observatorio, ut veritas magis pateret, pro observatione, coram spectatoribus multis commonstrando, praeparaveramus organon, ad speciem Solis scilicet per telescopium 6 pedum Sinicorum excipiendam in orthogonaliter subjecta mensula, è cuius centro ad amplitudinem apparentis speciei accurate descriptus erat circulus per 10 digitos, more Sinico, divisus; parati quoque habebantur in charta munda plures circuli similiter divisi et super illum successive applicandi, in quibus praesignatae erant phases eclipticae per singulos digitos appariturae secundum inclinationes Lunae ad lineam verticalem Solis. Et sic facta est observatio huiusce Eclipsis, quae per omnia conformis fuit nostro peculiari calculo; et non tantum in ipso observatorio, verum etiam tum in magno Rituum Tribunali, quo de more confluunt Aulae Mandarini, Eclipsim toto quanto durat tempore suspecturi, tum in ipso Palatio Regio manifeste deprehensus est non tam Solis defectus, quam veritatis Astronomiae ab Academicis

³⁵ Apropinquante ms.

reformatae, ita ut omnes palam dicerent monendum esse Imperatorem, petendamque aliam certam, et exactam Astronomiae reformationem. Ipsi etiam Academicci eventu rei convicti fatebantur celari³⁶ amplius non posse sui operis errorem, proindeque omnino supplicandum pro ejus correctione.

Tota jam negotij difficultas in eo versabatur, quisnam esset ea de re verba facturus; omnes enim prudenter timebant Imperatorem in iras exarsurum, plexurumque Academicos ob immensam pecuniae summam ex Regio aerario depromptam, ac in opere tam inutili, et mendoso inaniter impensam: Plurimi erant, qui affirmabant, nostra duorum interesse, hac de re Imperatorem monere, inter quos id in primis nobis suadere conatus est Regulus ipse 16.us Imperatoris Frater, et Academiae Praeses Assessorius; nos verò, ne multorum odia incurreremus, Regulo responsum dedimus, eam rem nostram non esse, sed magis spectare ad suam celsitatem. Ille verò palam fassus se id non audere: compulit tandem Mathesis Tribunal ad sistendum Imperatori supplicem libellum, in quo mitioribus, quibus fieri potuit, verbis, ne Academicis noceretur, ita rem proponebat: Ipsum videlicet Tribunal aliquot abhinc annos Academicam Astronomiae reformationem, ex Regio decreto insecum, animadvertisse caelestium corporum phaenomena, ac praesertim Eclipsium observationes ad amussim non cohaerere regulis ab Academia traditis, sed aliquantulum differre; neque de hac differentia citius Majestatem suam monuisse, quia futurum expectabat Solis Eclipsim, ut res attentius examinaretur, qua tamen transacta, et comperta notabili differentia praceptorum Academiae cum veritate³⁷ /fl. 55v./ observationum omnino judicabat necessarium novam cudere Astronomiae reformationem, pro qua supplicabat, et ad quam faciendam Majestati Suae proponebat duos Europaeos ipsi Tribunali addictos Patres scilicet Ignatium Kegler, et Andream Pereyra. Benigne per omnia Imperator annuit Tribunalis petitioni, decrevitque ita fieri debere.

Igitur operi statim manum admovimus; quo absoluto, duas secuturas Eclipses proximo Decembri 1731, unam Lunae exiguum cadentem in diem 13um, alteram Solis horizontalem, et satis magnam occurrentem die 29 ejusdem mensis, ambas hic conspicuas, dupli modo supputavimus, id est, et juxta Regulas Academiae, et secundum reformationem à nobis factam; inter quas latum

³⁶ caelari ms.

³⁷ Verita ms.

intercedebat discrimin; eas tamen sic calculatas Imperatori obtulimus, ut decerneret, illarum qualis evulganda, et praeferenda esset? Mathesis Tribunal ex voto multorum, qui antea fuerant Academicci, et modo erant in ipso Tribunal, Imperatori libellum obtulit, quo supplicabat, ut saltem pro hac vice, dum nova ab Europaeis facta Astronomiae reformatio non erat alicujus Eclipsis experimento probata veritati consentire, Majestas Sua permitteret duas proxime futuras Eclipses evulgari secundum Academiae paecepta supputatas. Aegre tulit Imperator hujusmodi supplicationem, ac Tribunal ipsum (nobis coram) his verbis reprehendit: Vos hucusque palam vidistis Academiae supputationes erravisse et vultis adhuc in eodem errore persistere? An non est hoc ridiculam velle facere Mathesim in Sinensi Imperio? Jussit igitur Imperator Eclipses³⁸ evulgari omnino calculatas juxta methodum Astronomiae a nobis reformatae, quin haec prius esset aliquo experimento, ut veritati conformis approbata, quod quidem non parvum signum est magnae utique opinionis, a se conceptae de Astronomica Europaeorum scientia, quam non semel laudibus extolle; et nunc adjecit, se ipsum velle has duas Eclipses observare.

Advenit tandem defectus Lunae, et Solis deliquij tempus, in quo utriusque observatio inventa est congruere adamussim cum calculo a nobis facto, non sine magna Europaeorum laude, ac ingenti admiratione praecipuorum hujus Curiae Magnatum, qui in varios affectus distracti, prout cujusque voluntatis penicillus rei imaginem colorabat, summa expectatione futuri praestolabantur adventum. Ipse vero Imperator in suo Palatio utranque observavit Eclipsim et valde gavisus est, experimento cognoscens, quam vera sit Europaeorum Mathesis; Utinam et aliquando percognosceret Divinae illius, quam ipsi praedicant Fidei veritatem! Transactos aliquot post dies cum issemus Imperatori oblatum Astronomiae Reformationem a nobis confectam, ille nos ad se vocatos perhumaniter accipiens dixit, se ipsum ambas Eclipses observasse, et animadvertisse quam optime inter se supputationes³⁹, et observationes⁴⁰ concordarent, pro quo, et pro tam feliciter absoluto Reformationis opere nobis gratias agens, subjecit: Astronomiam in hoc Sinensi Imperio esse magni momenti rem, ideoque priusquam typis mandaretur ejus reformatio, petendum esse consilium a primarijs (qui Kolai vocantur) Aulae

³⁸Eclipses *ms.*

³⁹supputationis *ms.*

⁴⁰Observationis *ms.*

Ministris. Hi praehabita consultatione censuerunt, rem esse convenientissimam, utilissimamque Imperio, si talis reformatio in lucem prodiret, foretque in posterum norma, qua Mathesis Tribunal regeretur: quo audito consilio, Imperator ita executioni mandari decrevit, jussitque Rituum Tribunali consulere de praemio nobis pro Astronomiae reformatione donando. Tribunal Rituum judicavit superaddendos cuique nostrum duos praecedentiae gradus intra eundem Mandarinatus ordinem, quae quidem praerogativa magno est in pretio apud reliquos Mandarinos; nobis vero tantum inservit ad conciliandam majorem aliquam apud Sinas autoritatem. Faxit Deus, ut sicut vera triumphavit Mathesis de inscitia, et astutia Academicorum, quando eam deprimere, vel abolere penitus conabantur, ita et potius vera, et catholica fides, pro qua laboramus, triumphum reportet de erroribus, ac malitia ethnicorum cum instanti persecutione eandem convellere, ac eradicare tantopere nituntur; idque ab immensa Dei Bonitate licet sperare: nam si in late inferiori Mathesis controversia⁴¹ tam propitium erga nos se gessit; quis dubitet in suprema Religionis causa benignorem nobis longe futurum, praesertim si *Admodum Reverendae Paternitatis Vestrae* aliorumque *Reverendorum Patrum* sacrificiis, et *Carissimorum Fratrum* precibus, quae enixè rogo, exoretur. Pekini, 20 Novembris 1732.

Admodum Reverendae Paternitatis Vestrae

Minimus in Christo Filius
Andreas Pereyra.

⁴¹ controvertia ms.